

Io. Balth. Burcardi, [...], oratio de criminibus, Iosepho patriarchae a Morgano impactis, [...]

Autor(en): **Burcardus, J.B.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad iuvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1746)**

Heft 3

PDF erstellt am: **13.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394582>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

JO. BALTH. BURCARDI,

SS. Th. D. & N. T. Prof. Ord. h. a. Acad.

Basil. Rectoris Magnifici,

Oratio de Criminibus, JOSEPHO

Patriarchæ a *Morgano* impactis,
dicta

cum Rectoratum Acad. auspicaretur

ad d. XXI. Junii. MDCCXXXVI.

EAm esse Temporum nostrorum infelicitatem, qua impietas indies latius serpit & sanctissima quævis giganteo nisu impune convellit, omnes boni atque cordati, quibus fractura Josephi curæ cordique est, una mecum vehementer dolent; Venit scilicet Tempus illud; venit, de quo vaticinati sunt Petrus & Judas (a) ὅτι ἐλεύσονται ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν ἐμπάικται, κατὰ τὰς ἰδίας αὐτῶν ἐπιθυμίας πορευόμενοι, καὶ λέγοντες. πᾶς ἔστιν ἡ ἐπαγγελία τῆς παρεσσίας αὐτῆς; Instat jam & urget feralis illa calamitas, quam Christus designaverat Luc. XVIII. 8. πλὴν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐλθὼν ἄρα εὐρήσει τὴν πίσιν ἐπὶ τῆς γῆς.

Non commemorabo nunc ad fidem faciendam Dictis meis multorum vitam ita comparatam esse, ut si nomine Christianorum abstinerent, nemo unquam eos sanctissimam hanc Religionem profiteri vel conjectura assequi posset; non recensebo hanc plurimorum præposteram, Diligentiam dicam

(a) 2. Pet. III. 3. Jud. 18.

cam an Negligentiam, qua quum in ceteris, quæ ad vitæ hujus commoda aut ingenii cultum pertinent, nec laboribus, nec vigiliis, nec sumptibus parcant, in iis tamen, quorum cognitio ad æternam salutem ducit, plerumque tam remissi, tam negligentes, tam stupidi sunt, ut merito de illis usurpes illud Poetæ:

O curvæ in terras animæ & cœlestium inanes:

Utut vero hæc ingens sit calamitas, qua veluti pestilenti sidere afflata est res christiana, parum tamen sibi adhuc profecisse visus est Satanas, nisi & aperto Marte sanctissimam Religionem invaderet, suaque sibi mancipia ex ipso Christianorum medio defumeret, quæ quod *Hierocles, Celsus, Julianus*, atrocissimi Salvatoris hostes facere non sunt ausi, in se peragendum susciperent, & propositis Libellis non sanctissimam solum Religionem, ejusque Mysteria probrosis Dictis incesse-
rent, sed ipsi etiam, proh Scelus! Domino nostro convicium facerent, Ministrosque ejus Prophetas ac Apostolos scdissimis convitiis proscinderent; quorum ego nefarios ausus cum intueor, anceps hæreo, utrum magis istorum impietatem detester, an vero Christianorum Socordiam & in vindicanda Christi gloria ejusque Doctrina torporem accusem, omnemque adeo rem christianam collapsam & tantum non eversam deplorem!

Inter istos autem, quos modo dixi ad perniciem & opprobrium humani generis natos haud postremum locum tenet THOMAS MORGANUS, *Medicus Anglicus* (*) qui quum illotis, quod

(*) MORGANUS ille Medicus Londinensis Deistarum turbæ addictus, variis editis contra Religionem

quod ajunt, manibus & profana mente res
Theologicas tractaret, dedit pœnas suæ temerita-
tis, & εἰς ἀδύτημον ἔειν, justo Dei Judicio traditus
brevis ad summum malitiæ culmen ascendit, ea-
que adversus Deum & Religionem effutiit, quo-
rum

christianam libris famam adeptus est, vel potius si quam
habuit impietate sua decoxit. Primus liber, in quo Re-
ligionem christianam impugnavit, hunc titulum habet:
*The Moral Philosopher in a dialogue between Philalethes
a Christian Deist and Theophanes a Christian Jew*
Londini, 1738. Secutus mox alter in prioris defensio-
nem scriptus: *The Moral Philosopher Vol. 2. Being a
farther Vindication of Moral and Reason* Londini 1739.
Quibus duobus libris adjecit tertium. *The Moral Phi-
losopher Vol. III. Superstition and Tiranny inconsistent
with theocracy, occasioned by the Reverend Mr. Low-
mans dissertation on the Civil Government of the He-
brews by Philalethes.* Quemadmodum vero Anglia fe-
racissima est ingeniorum lascivientium mater; ita non
desunt Viri Eruditi & pietate eminentes, qui acriter pro
Religione stent, eamque solidissimis argumentis defen-
dant, & contra incredulorum insultus tueantur. Hoc
ipsum expertus est Morganus. Contra Eum enim Re-
velationis causam strenue defenderunt Viri inter Anglos
Celeberrimi & Eruditissimi. Inter eos eminent Joh. LE-
LANDUS, Joh. CHAPMANN & Samuel SCHANDLER.
Primus sub hoc titulo duo volumina opposuit Morgano:
*The divine Authority of the Old and New Testament
asserted with a particular Vindication of the Character of
Moses and the Prophets, our Saviours Jesus Christ and
his Apostels against the unjust Aspersions and false rea-
sonings of a Book intituled The Moral Philosopher.*
Secundus sub nomine Eusebii Eum impugnavit editis

rum vel ipsum *Porphyrum* aut *Celsum* puderet (b); Inter alia gravem dicam scripsit JOSEPHO *Patriarchæ*, quem & depeculatorem Aegypti, & libertatis publicæ oppressorem, sævumque Tyrannum fuisse contendit, non alium in finem, quam ut per latus Josephi ipsum Mosen feriret, auctoritatemve ejus frangeret: Licet vero labor iste *Morgani* irritus sit factus magnorum Virorum opera, qua pro merito suo exceptus & castigatus est, nefariusque ejus conatus repressus, uti ex *Chandleri*, *Lowmanni*, *Lelandi*, *Chapmanni*, *Baumgartenii* aliorumque lucubrationibus apparet, non est tamen, quod aliquid vel a persona, quam nunc sustineo, vel a munere, quod alias per Dei gratiam in hac Academia gero, alienum me suscepturum existimem,

duobus libris. S. *Chandlerus* denique eum aggressus est libro doctissimo cui titulum dedit: *A Vindication of the Histori of the Old Testament &c.* Optandum esset ut Doctissimorum Virorum Scripta latinitate donarentur, aut in Idioma gallicum transferrentur. Inprimis autem operam dedit *Morganus*, ut pietati Virorum pientissimorum *Mosis*, *Abrahami*, *Josephi* & *Pauli* detraheret. Quorum tamen divinam auctoritatem strenue defenderunt viri ante laudati. Inter Germanos nostros Paulum adversus *Morganum* strenue vindicavit *Ernestus a Windheim*, singulari Dissertatione sub præsidio *Celeb. Baumgarten* habita. Idem doctissimus Vir Patriarcham Josephum defendit in *Eruditissimis Observat. Historiæ Universali* adjectis Tom. II. pag. 316. 319. & seq. Ejusdem Patriarchæ causam perorat *Cl. Burkhardus* in præsentis erudita Oratione, quam benevole pro suo in nos adfectu nobiscum communicare voluit. J. Z.

(b) Deutsche Acta Eruditorum, oder zuverlässige Nachrichten. Th. I. S. 2. 3.

mem, si & ego tantisper magnorum horum Virorum agmini me immisceam, eaque hic in illustri hac Panegyri proponam, quæ mihi nuper (c) *Acta litteraria Tigurina* legenti, ubi hæc ipsa quæstio proponitur, in mentem venere.

Vos igitur Aud. O. O. H. date hoc mihi, ut auribus atque linguis saveatis, & si *Morgani* dubiis minus, quam par est, satisfecero, quæso, id mediocritati ingenii, inscitæ, stupori meo, cuivis denique rei potius; quam causæ, cujus patrocinium suscepi, tribuatis.

Id quod ex Sententia MORGANI in disputatione versatur, hoc est: Josephus a Pharaone Aegypto præfectus in eo statim omnes suas curas cogitationesque defixit, ut septem prioribus annis fertilissimis frumentum omne quacunque tandem ratione coacervatum regiis horreis inferret, non alia id lege subsequuta VII annorum fame Aegyptiis redditurus, quam ut auri primum argenti-ve, tum pecoris atque agrorum, tandem ipsius etiam libertatis jacturam facerent, quod facinus dum a Tyrannidis & oppressæ libertatis crimine parum abesse *Morgano* videatur, duo nobis hic expendenda veniunt.

I. Ut qualecunque tandem hoc factum statuat, nihil inde tamen præsidii causæ Antiscripturariorum, qui quavis ratione S. S. auctoritatem elevare conantur, accedere demonstrem:

II. Secundo, ut in specie Josephum in omni hac re nihil egisse evincam, quod cum lege Justitiæ, æquitatis ac sanctitatis non ad amissim conveniat;

Aa 2

I. Quod

(c) *Freymüthige Nachrichten* ad finem anni 1745.

I. Quod primum attinet, erimus jam liberales in *Morganum*, & dabimus ei nostra sponte, non posse hic a Tyrannidis suspicione liberari Josephum; qualem inde tandem adversus S. S. auctoritatem consequentiam ducet? Male ergo, inquiet, passim celebratur in S. S. a sapientiæ, castitatis, & pietatis laude. Non video ego hanc consequentiam, qui in uno minus perspicax erat, aut parum sapienter egerat, aut impie etiam aliquid perfecerat, eum in aliis, non pietatis, non abstinentiæ laude florere potuisse? Nemo ergo unquam pius, justus, doctus, fortis, sapiens, vocabitur? Quid ergo isti homines *Socratis*, aut *Aristidis*, aut *Senecæ*, aut *Antonini Philosophi*, aut ipsius etiam *Juliani* virtutes celebrant? Nihilne unquam humani passus sunt isti in Exemplum Virtutis nobis propositi? Sed perget fortasse *Morganus* atque subjiciet: Mosen in hac historia enarranda ita versari, ut haud obscure pateat, eum hoc factum probare; Ego vero non memini alicubi Mosen aut alium quendam Scriptorem S. hic judicium suum interponere, & factum istud laudare; Et licet res ipsa felicem exitum habuerit, neque id sine arcana Numinis Providentia contigisse appareat, nullibi tamen Moses docet, ex speciali Mandato divino hæc per Josephum peracta; Quis omnium nostrum est, qui ignoret, quam mirabili sæpius ratione Judæi Servitutis jugum excusserint, suæque Libertatis oppressores vicissim sub jugum miserint, nemo tamen inde, ut opinor, omnia illa Israelitarum aut Judicum facta, quibus se in Libertatem vindicarunt, ab omni impietatis labe purgare sustinebit. Nos certe ita statuimus, Deum voluisse, ut Israelitæ libe-

liberentur, & in hanc rem Judices extraordinarios Spiritu suo accensos excitasse, Executionem vero rei ipsis reliquisse; Quare quum (d) Ehud, ut rem exemplo illustrem, Eglonem Moabitarum Regem sub prætextu divinæ Legationis circumventum trucidasset, passus quidem est Deus liberari hoc modo Israelitas a Moabitarum dominatu; factum tamen ipsum Auctorem Libri Judicum probare, aut id ex mandato divino susceptum asserere, nemo uti credo evincet; Placent hic nobis (e) RIVETI, Theologi summi, verba quibus in alio quodam Josephi facto illustrando usus est: *Non magnopere, inquit ille, sudandum est ad excusandum in omnibus Josephum, quia probabile est, aliquid humanitus esse passum, quod Deus illi ignovit; Deum autem permisisse, ut in sanctorum Virorum etiam laudabilibus factis miscerentur peccata quædam, eaque etiam scriptis proderentur, ut memores simus fragilitatis humanæ, humilitatemque colere discamus, nam si inoffensum a vitiis (ait Ambros. Apol. David. L. 2.) inter tot lubrica hujus Seculi curriculum peregissent, dedissent nobis occasionem infirmioribus, existimandi eos cujusdam sanctioris & divinæ naturæ fuisse, ut delictum recipere, & culpæ consortium habere non possint.*

Satis hæc quantum concipio evincunt, nihil inde Thomæ Morgano ad elevandam S. S. auctoritatem præsidii accedere, si vel maxime Josephum a crimine hac ex parte liberare non possemus; ut tamen adhuc pressius *Morganum* urgeamus, adde tantum abesse, hoc quod Morganus in Josepho

Aa 3

hic

(d) Jud. III. 12-30.

(e) Rivetus in Genesin p. 614. Exerc. CLXI.

hic criminatur, Mosis auctoritatem evertere ut potius eam non mediocriter confirmet; quod si enim ad commendandam Auctoris fidem haud parum facit, si in scribenda suæ gentis historia ita versatur, ut tam suos quam illorum, quos ut Viros eximios laudibus extollere cupit, nævos haud dissimulet, (f) ecquis est, qui non videat, Mosen Judaicarum rerum Scriptorem, si vel maxime a divinitate scripti tantisper discedas, ex solo capite sinceræ & ab omni partium studio remotæ scriptiois suæ Historiæ haud contemnendam conciliare auctoritatem; Quare desinant tandem increduli nobis molesti esse, & Patriarcharum facta a Mose in litteras relata maligno dente rodere, hoc enim ipso facto nihil aliud agunt, quam ut Mosis veracitatem auctoritatemve, cui tamen adeo vehementer succensent, novis documentis adstruant;

II. Sed istis nunc quidem diutius non immorabimur; non enim certe eo jam redacti sumus, ut aliquam hac ex parte culpam in Patriarcha *Josepho* locum habere fateri nos oporteat, quare ad alterum jam Tractationis nostræ caput transibimus, paucis demonstraturi, omne illud, quod hic in *Josepho* carpit *Morganus*, non culpa solum vacare, sed maximis etiam laudibus efferendum esse. Vos modo Auditores, uti adhuc fecistis, me patienter audire pergite.

Videa-

(f) - Contrarium plane egit *Flavius Josephus*, qui in annalibus gentis suæ condendis ea plerumque prætermisit, quæ Patriarcharum laudibus detrahere videbantur; Exempli loco sit incestus Judæ cum *Thamare*.

Videamus autem , quid hic objiciat Morganus; (g) Josephus, ait ille, Aegyptum ditissimam atque liberam Regionem, septem illis, quibus fames erat annis, novo ea tempestate ac inaudito exemplo, omnium miserrimam perpetuæque & acerrimæ Servituti obnoxiam fecit; gravis Accusatio; Sed quis innocens erit, si accusasse sufficiat? Proferat igitur Testes & Tabulas. Josephus, ita pergit, VII prioribus annis fertilibus omni frumento Aegyptios spoliavit, arces & propugnacula, quibus frumentum illud inferret, exstruxit, præsidia armatorum, ne quis se invito frumenti quid acciperet, disposuit, hacque ratione miseram Aegyptiorum Gentem, ni fame perire placeret, non auro solum & argento, non pretiosa supellectile, non pecore atque agris spoliavit, sed libertate etiam ipsa mulctavit.

Utinam ego, Auditores, in depellenda hac a Josepho injuria & abstergenda culpa tam facundus esse possem, quam *Morganus* in criminando Josepho est impudens, citius profecto diem dicendo eximerem, quam vos Orationis meæ tædium caperet; nam quod primo comparationem Annonæ attinet, an est quisquam tam ab omni historiæ sacræ peritia remotus, qui ad tam impudens Mendacium non obstupefactus hæreat? Tune, Morgane, audes dicere, vi extorsisse Josephum Annonam Aegyptiis! cui hoc unquam ante Te in mentem venit! ferrem hoc in (h) *Celso*, qui quum Teste *Origene*, Mosen plurima

Aa 4 * impia

(g) Uebersetzung der allgemeinen Weltgeschichten mit den Anmerkungen Siegm. Jac. Baumgarten. Tom. II. pag. 318. 320.

(h) Origen, adv. Celsum L. 4. p. 190. 192. 195.

impia finxisse dicat, ipsemet nihil non commiscitur ad labem adspargendam historiæ Mosai-
cæ; ferrem in *Fausto Manichæo*, qui V. T. libros,
uti (i) *Augustinus* nos docet, inter alia ideo rejecit,
quod Patriarchas & Prophetas laudibus vehant
atque commendent, quos ipse quovis modo atro-
cissimorum criminum reos peragere cupit; fer-
rem in Scriptoribus vicinarum Hebræis Gentium,
qui quum Teste (k) *Josepho* L. I. adversus *Appio-
nem* in Hebræorum Gentem valde iniqui essent,
nihil intermiserunt eorum, quæ ad invidiam Ju-
dæis conflandam facere videbantur, sed cum isti
tam aperte tam crasse mentiri, Josephumque no-
strum de rapto per vim frumento postulare nun-
quam, quantum scimus, sint ausi; quid statue-
mus de *Morgano* & *Christiano* & Ecclesiæ apud
Puritanos in Anglia (l) Presbytero, qui famæ
sanctorum Virorum tam proterve insultat, ut
quum nec in S. Litteris, nec in alio quodam
Scriptore quidquam inveniat, quod in dedecus
Patriarchæ Josephi hac ex parte rapere possit,
malit in cerebro commenta fingere, quam veri-
tati assentiri.

Nihil igitur in S. S. aut quocunque alio Scrip-
tore de frumento a Josepho vi possessoribus erepto,
nihil de exstructione Munimentorum, & statione
Militem, qua raptum frumentum custodiebatur;
sed omne, quod in Litteras relatum legitur, hoc
est: Operam dedisse Josephum, ut omne quod
honestæ ratione poterat, sive pretio, sive ex redi-
tibus

- (i) Augustin. passim in XXXIII Libris c. Faustum.
- (k) Joseph. L. I. adv. Appion.
- (l) Audio illum hoc gradu ob morum petulantiam
dejectum.

tibus regiis, coacervare frumentum, in exstructis in hanc rem horreis diligenter conservetur, inde iterum depromendum cum terra Aegypti eo opus habitura sit; nihil igitur hic dolo, vi, rapina; omnia honeste & ex æquo transacta. Imposuerat Rex Aegypti ex consilio & Sententia Josephi Aegyptiis tributum quintæ partis frumenti. Hoc cunctis aliquis vituperare audeat, quando secum cogitat, primo, Regem hic jure suo esse usum, quod ipsi in casu extraordinario extraordinarium tributum pendendum postulat: Erat autem, si unquam, hic casus extraordinarius, cui si provida Regis cura per Josephum imponendo Tributum quintæ partis frumenti non prospexisset, actum fuisset non de Aegypto solum, sed vicinis etiam gentibus, quas hæc tributi repræsentatio salvas & incolumes præstitit: his adde secundo, eam tum fuisse agrorum fertilitatem, eam provenisse frumenti copiam, ut quatuor partes residuæ quintam illam non desideraverint, sed suffecturæ etiam fuissent ad tolerandam & propellendam VII subsequentiæ annorum famem, modo illas, uti par fuerat, & exemplum Josephi monstrare potuisset, provide satis ac diligenter conservassent; quid quod & nostris temporibus eam aliquando inundationem Nili agrorum fertilitatem subsequi dicant (m) Viatores, ut ager non una aut altera sed 4 vicibus in uno eodemque anno uberrimos ferat Fructus. Nihil igitur erat quod Aegyptii quintam frumenti partem tributi loco sibi impositam magnopere conquererentur, nosque post liberatam ab injustitia frumenti comparationem

Aa 5

per-

(m) Allgemeine Welthistorie T. I. p. 376.

pergimus nunc porro ad Venditionem illius per Josephum factam.

Sed hic jam caput extollit ac triumphat *Morganus*, & accusationis summam in eo ponit, tum quod omni Aegyptios argento & auro, pecore & agris exuerit, tum quod eos in perpetuam servitutem Regi addixerit. Nos quale hoc sit per partes videbimus; Primo dicet aliquis, Josephus tempore fertilitatis magnam frumenti copiam vili ab Aegyptiis pretio cœmerat; esto; debebat igitur, si Pater Patriæ esse cupiebat, eodem illud tempore famis Aegyptiis reddere; neque immane quantum aucto pretio omni illos argento emungere. Respondeo: primo non iniquum fuisse, Josephum pretium annonæ auxisse, tum quod illi, dum haud satis diligenter frumentum conservarunt, ipsimet in hanc emendi necessitatem sese conjecerint; tum quod Josephus non privato consilio, sed regia auctoritate pretium frumento statuisset videatur: Patet id inter alia ex eo, quod Aegyptii Regem prius quam Josephum adierint, Rexque Aegypti in exaltatione Josephi majestatem regiam sibi salvam atque illibatam manere voluerit, quod quid aliud est, quam omnia Regis auctoritate transigi debuisse; his adde Josephum non injuste Regis tam præclare de se meriti opibus augendis operam dedisse, præsertim cum pretium in infinitum auctum fuisse, nulla probabili ratione evinci queat, immo contrarium potius ex historia fratrum Josephi frumentum in Aegypto ementium appareat.

Sed instat *Morganus*, atque urget, non potuisse ditissimam hanc Regionem tam brevi tempore omnibus opibus exui, nisi immodicum fuis-
set

set frumenti pretium ; Ad istud nos respondemus, plurima hic sumi pro certis, quæ non incerta solum, sed incredibilia etiam, immo aperte falsa sint; Illud enim, quod primo ait, ditissimum Aegyptum fuisse, quam incertum & omni probabili conjectura destitutum? unde enim isti Theauri, ista opum affluentia ea tempestate in Aegypto? an ex Mercatura? Sed illud, quod in S. S. (n) narratur de agmine Ismaelitarum & Madianitarum, aut uti *Onkelos* & *Flavius Josephus* eos appellant, Arabum, quibus ex Arabia per Galaitidem in Aegyptum aromata devehentibus Josephus a fratribus fuerat venditus, exile nimis atque tenue est, quam ut tam immensas per istud Mercaturæ genus divitias sibi cumulare Aegyptii potuerint : Profani autem Scriptores, *Manetho*, *Eratosthenes*, *Herodotus*, *Diodorus Siculus* cum alia plurima de vetustissimorum Aegyptiorum institutis, moribus ac rebus gestis memoriæ prodant, de mercatura tamen primis illis temporibus apud Aegyptios florente altum silent; quid quod *Strabo* L. 17. & *Diod. Siculus* L. 5. diserte dicant Psammetichum, qui decimo post Josephum Seculo demum vixerat, primum fuisse Regem Aegypti, qui abolita veteri Lege, quæ Exteris Aegyptum adeundi potestatem non faciebat, peregre advenientes ipsosque adeo Mercatores in portibus suis benigne exceperit; Antea erat Aegyptus

(o) *Terra suis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Jovis, in solo tanta est fiducia Nilo.*

Nec huic repugnat, quod passim tam in (p) Sa-
cra,

(n) Gen. XXXVII. 25. (o) Lucan. Pharsal. L. VIII.

(p) Ezech. XXVII. 7. Prov. VII. 16.

cra, quam (q) profana historia de Byffo Aegyptiorum traditur, quæ quum subtilitate & præstantia, sibi similem haud inveniret, a Mercatoribus late per Orientem spargebatur; hoc enim omne ad recentiora Salomonis tempora pertinet, quibus per affinitatem Salomonis cum Rege Aegypti contractam haud parum Mercaturam in Aegypto excultam fuisse non inficiamur, donec summum sub Ptolemeis culmen, exstructis in hunc usum ad occasum in mari rubro Berenice, Myos, Hormos, aliisque portibus attingeret, & Alexandria Emporium totius terrarum Orbis celebratissimum evaderet.

Sed sunt hæc, uti modo dixi, recentioris temporis, adeoque ad vetustiorum Aegyptiorum divitias demonstrandas adduci nequeunt, nec majus robur inest alteri illi argumento, quod quidam a Pyramidum exstructione desumunt; ut enim hic non dicam, haud quaquam planum esse, quod de ætate illarum *Herodotus* & *Syncellus* referunt, cum multi & inter illos *Flavius Josephus* (r), vetustiores Pyramidum ab Israelitis demum in Aegyptiaca Servitute exstructas dicant; ut omittam etiam, quod Itineraria docent, vetustiores Pyramides in parte Memphitica Aegypti positas esse, adeoque in causa opulentiae Subditorum Josephi, qui ex sententia (s) *Marshami* inferiori tantum Aegypto præerat, testimonium dicere non posse, non inepte aliquis respondebit exstructionem Pyramidum non tam summæ vetustiorum
Aegyp-

(q) Plin. Hist. Nat. L. 19. c. 1.

(r) Joseph. Antiq. L. 2. C. 5.

(s) Marsh. Can. Chron. p. 90.

Aegyptiorum opulentiae, (vicinas enim adfuisse (t) Lapidicinas mons saxeus, cui Pyramides impositae sunt, demonstrat) quam singularis plane atque reconditae in architectura doctrinae argumentum esse.

Incertum igitur est, immo incredibile, omne illud, quod de summis antiquiorum Aegyptiorum opibus *Morganus* differit; illud vero quod porro addit, omnibus divitiis Aegyptios a Josepho spoliatos fuisse aperte falsum; Novi (u) S. S. dicere omnem pecuniam Aegypti ad Josephum delatam fuisse, sed hoc de illorum solum pecunia intelligendum, quibus emptione frumenti opus erat; Refert (x) *Herodotus* in Euterpe Aegypti incolas in VII classes antiquitus distinctos fuisse; ex istis prima continebat Sacerdotes, qui quum, uti (y) *Diodorus Siculus* ait, πάντων ἀτελεῖς καὶ δευτερεύοντες μετὰ τὸν βασιλέα ταῖς δὲ δόξαις καὶ ταῖς ἐξουσίαις, omnium onerum essent immunes & primas a Rege honoris atque potestatis haberent; praeterea etiam certo a Pharaone demenso ipsis constituto teste (z) S. S. regiis sumptibus sustentarentur, nihil causae habuere, cur suas ad Josephum opes conferrent: Hos excipiunt Milites; Erant autem isti Aegyptiorum pars multo maxima, dividebantur in duas classes, quarum prior Hermotybium centum & sexaginta millia hominum complectebatur; altera Calasyrium ducentis & quinquaginta millibus Virorum constabat, istis omnibus, uti *Herodotus* l. c. refert non licebat quippiam artificii quaestuarii addiscere, sed militiae

(t) Marsh. Can. Chron. p. 49.

(u) Gen. XLVII. 14.

(x) Herodot. L. 11.

(y) Diod. Sicul. L. 1.

(z) Gen. XLVII. 22.

litiae unice vacabant, & publico Stipendio alebantur; non potuit igitur istos opibus exuere, aut pecunia emungere Josephus; soli remanent Bubulci & Subulci & Institores cum Interpretibus, nam qui VII classem constituunt, gubernatores navales ad Milites pertinent; Sed fuerunt hi primo numero pauciores, deinde non ex ditioribus, adeoque licet suas isti in emendo frumento, quod facile accidere potuerat, absumserint opes, nemo tamen inde Josephum de omnibus Aegyptiorum divitiis corrasis jure postulare poterit.

Nunc ad pecora atque agros Aegyptiorum transeamus, in quorum adversus impiam *Morgani* criminationem vindicatione, cum ejus Summa jam in iis, quæ de pecunia Aegyptiorum disputavimus, contineatur, nobis brevioribus jam esse licet.

Primo igitur certum est, non omnibus Aegyptiis fuisse pecudes, sed iis tantum qui prædia rustica aut propria aut conductitia habuere; deinde & illud pro concessio sumi potest, pecus quod reliquum fuerat, & ad Josephum adductum, non fuisse multum, cum Pascua in Cananæa deessent, & fames ex siccitate nimia seu parca Nili exundatione orta esset; quare quemadmodum ab una parte hæc calamitas, pecoris scilicet abductio, ad pauciores pertinet, adeoque haud digna, quæ tanto cum Stomacho Josepho objiciatur; sic ab altera parte hac ipsa pecoris subductione in tempore cautum, ne totum in Aegypto intercideret; quod si consilio, sapienter factum; feliciter, si casu.

Quod agros autem attinet, observo primo non omnes fuisse Josepho venditos, tum quod
Sacer-

Sacerdotum agri vendi haud potuerint, tum quod (a) multo maxima pars agrorum jam antea Regi propria fuerit ad sustentandos scilicet Milites destinata; singulis enim Militum uti *Herodotus* l. c. scribit duodecim Aruræ (est vero Arura centum cubitorum quaquaversus) ab omni tributo immunes concedebantur.

Secundo non adeo infeliciter illis, qui agros vendiderant, res ceciderat, finita enim fame alios ipsis concessit, sola hac cum conditione, ut quintam partem proventus tributi loco repræsentare pergerent, id quod in tam fertili regione non grave aut molestum esse debuerat. Ceterum licet hic, quod tertio loco notandum, summam Josephi prudentiam & acerrimum de universa regione bene merendi studium vivis coloribus depictum cernere. *Populum*, inquit, sacer Scriptor (b) Moses, *transtulit Josephus* post venditionem scilicet agrorum *in civitates ab una parte in alteram*; Non moror hic variantem Lektionem Codicis Samaritani, qui loco illius quod in Hebræo extat **ואת העם העביר אותו לערים**, *Populum* quod attinet, transduxit illum in civitates ab uno extremo Aegypti in aliud, legit **ואת העם העביר אותי לעברים** *Populum* redegit in servitutem. Jam dudum enim Viri summi *Pfeifferus*, *Waltonus*, *Buxtorfius*, *Hottingerus*, *Carpzovius* adversus *Morinum*, *Capellum*, *Isaacum Vossium*, & *Whistonum* invictis argumentis demonstrarunt, Pentateuchum Samaritanum in parem cum Textu Hebræo gradum dignitatis non assurgere & vix in secundis ac tertiis consistere; Quid igitur hæc translatio populi ex
uno

(a) Diod. Sic. L. I. (b) Gen. XLVII. 21.

uno in alium locum? (c) *Musculus* nihil aliud hic innui autumat, quam populum ex agris in urbes vocatum, ut ibi Regis Mandata de tributo aliisque exciperent; (d) *Grotius* contra eos a natali Solo translatos & inter se cognatos segregatos, ut seditionibus materia subtraheretur; alii hoc volunt signum fuisse nihil ipsos jam proprii in terra Aegypti habere; ego si licet a magnis viris modeste dissentire, malletm dicere S. Scriptorem loqui hic de translatione aliqua populi ex uno in alium locum eo consilio a Josepho instituta, ut illa Aegypti loca, quæ sive vitio naturæ sive negligentia hominum antea non satis culta erant, colorum istorum opera, industria & arte fertilia redderet, quod quin sapientissime factum, & multum hac ratione publicæ utilitati prospectum, nemo nisi Morgani similis negabit. Et huc facit quod (e) *Mailletus* ex Scriptore Copto in Itinerario suo refert, Josephum Aegyptum inferiorem, cujus maxima pars antea perpetua palus fuerat, aqua per canales in lacus deducta non habitabilem solum, sed fertilissimam etiam reddidisse.

Accedimus nunc tandem ad ultimum, Libertatis scilicet ereptionem, quæ juxta *Morganum* nullum excusationi locum relinquit; Sed & hic varia occurrunt, quæ causam Josephi juvant; nam primo vox עֶבֶר dubiæ est significationis, & non mancipium modo significat proprie dictum, ut *Servus* apud Latinos, sed ministrum etiam ὑπηρέτην, tum subditum aut vectigalem: Non utar tamen hac responsione, quoniam Aegyptiicum antea Regi duntaxat vectigales essent, jam

man-

(c) *Muscul.* Comm. in h. l.

(d) *Grotius* in h. l.

(e) *Maillet.* Voyag. T. I.

mancipia Pharaonis videntur facta. Secundo igitur observo, haud parum ad invidiam si non extinguendam saltem minuendam facere, quod uti supra observavimus hoc de inferioris solum ordinis hominibus, Agricolis, Subulcis ceterisque, qui artem manuariam in Aegypto exercebant intelligendum sit; his adde tertio, licet non regium modo, sed herile etiam imperium in istos exercere potuerit Pharaon, non gravius tamen onus ipsis impositum, quam ut in posterum quintam partem proventuum ex agris tributi loco repræsentare pergerent, id quod nihil est ad summas difficultates & angustias, ex quibus opera Josephi fuere liberati; hinc vitam ceteraque omnia Josepho se debere grati fatentur, nec Eum solum per 66 annos illos, quos post famem vixerat, loco Parentis & Conservatoris Patriæ habuere, sed ob beneficiorum magnitudinem, in Deorum etiam numerum retulere, & sub nomine Serapidis ac Osiridis, uti recte observarunt Clemens Alexandr. Augustinus, Ruffinus, Julius Firmicus aliique ex vetustioribus, divinis affecere honoribus.

Dicta est a me causa Josephi & perorata, superest, ut Deo, cujus præsidio actus iste ad finem perductus est gratias agam.

Preces.